



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118634**

§. 91. Hieronymi Socheri Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](#)

nam doctrinam sinceritatis, atque eruditio-  
nis præclara reddidit testimonia,  
unde a summo Pontifice una cum aliis  
feliebat, ut inter Sedem Apostoli-  
cam, Hispaniæ Regem, & Venetorum  
Rempublicam fœdus contra Turcas pro-  
curaret, quo in negotio prosper eidem  
arrisit successus. Scripsit Carolus Car-  
inalis opusculum de Ecclesia ab Hæ-  
resibus liberanda, quem librum Julio III.  
Romano Pontifici nuncupabat: de ce-  
tero dum purpura per biennium vix  
fruebatur, Romæ e vita migravit die  
Dominica vigesima quinta Martii anno  
millesimo quingentesimo septuage-  
imo primo, cum annum ætatis suæ quin-  
quagesimum secundum attigisset: por-  
ro ejus ossa in monte Pincio in San-  
ctissimæ Trinitatis Ecclesia cum elogio  
literis æneis scripto requiescunt.

## §. XCI.

*Hieronymi Socheri Cardinalis obitus.*

Anno Incarnationis Dominicæ mille- *Ciacon. p.*  
simo quingentesimo octavo Hiero- *1632.*  
nymus Souchier, seu Socherus natione *Attichy hist.*  
Gallus primam lucem aspicerat, ac in *Card.*  
primis ætatis suæ annis Ordinis Cister- *Aubery l.c.*  
ciensis institutum professus mittebatur *Mousalbus*  
ad Bernardinorum Gymnasium, quod *hist. Cister-*  
est Lutetiæ Parisiorum, ubi feliciter *cienf.*  
Philosophiæ, ac Theologiæ cursum ab-

Tt 5 solvit,

Sæcul. XVI  
A.C. 1571.

solvit, & Lauream Doctoratus consecutus, inter Doctores Sorbonicos adnumeratus est. Acceslit ad ejus Doctrinam singularis judicii maturitas, ac prudentia, quibus præclaris animi dotibus sibi plurium illustrium Virorum benevolentiam conciliavit, atque inde innotuit primum Carolo Cardinali Lotharingio literatorum sui sæculi Patrone, ac Mæcenati: porro istius opera carus exstitit ipsis Regibus Christianissimis Henrico II. ac Francisco hujus nominis II. & Carolo IX. qui hominis ingenium, sapientiamque singularem admirati sunt: unde ad Claravallenfis Monasterii regimen, administrationemque vocatus, & quadragesimus secundus illius Abbas ab Ordinis sui Monachis ob meritorum suffragia electus est. Postea ad Concilium Tridentinum profectus, Ecclesiæ caussam, & Romanæ Sedis dignitatem tam ardenti studio defendit, ut meruerit præstantissimi Cardinalis Hosii, ejusdem Concilii Præsidis præconio laudari, atque a Carolo Cardinale Borromæo summis laudibus sæpe commendari. Porro tunc, cum Pio V. Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo octavo singulari mandato Cardinalitiam dignitatem acceptare cogeretur, erat Cisterciensium Abbas, & supremus ordinis sui Præpositus,

situs, quod sui Ordinis Magisterium nun- Sæcul. XVI.  
quam dimittebat vulgo Claravallenis A.C. 1571.  
Cardinalis dictus. Tandem Romæ fe-  
ria sexta die vigesima tertia Octobris an-  
nos natus sexaginta tres decepsit, se-  
pultusque fuit in Ecclesia sanctæ Crucis  
in Jerusalem.

§. XCII.

*Strozzi Cardinalis mors.*

Larentii Strozzi Florentini Parentes Ciacon.  
erant Philippus Strozzius, & Cla- fug. 856.  
rices Medicæa Leonis X. neptis, ejus Aubery l.c.  
vero frater fuit Petrus Strozzius Mare- Ferd. Ughel  
scallus Franciæ: ceterum hic Cardinalis in addit. ad  
natus est Florentiæ die tertia Decembris  
anno Salutis millesimo quingentesimo  
vigesimo tertio, ac sub Benedicti Var-  
chii illius ævi doctissimi viri disciplina  
humaniores literas didicit: Patavii au-  
tem adhuc adolescens Jurisprudentiæ  
operam dedit: cum vero ad forenses  
strepitus animum minus propensum sen-  
tiret, in Gallias contendit, ubi pluri-  
bus in regio exercitu officiis honoratus  
per suam prudentiam, animique forti-  
tudinem ingentem sibi famam compa-  
rabat. Postea Narbonensi Provinciæ  
Henrici II. Francorum Regis nomine  
præfuit, ubi multa hæreticorum oppida  
sat munita, animi robore, ac virtute  
maxima expugnavit, & ad Catholicam  
reli-